et deponentium manu subsignentur, nisi ut visitationes ipse, si opus fuerit in Deffinitorio ostendantur. Argumentum enim fortè, quòd Deffinitores in tali casu non tenentur credere Provinciali simpliciter asserenti se habere causas sufficientes ad illum excludendum, est, quòd non tantùm visitationes scribuntur à Provinciali (sic enim non precluderetur via ipsius animositati, quià posset scribere, et fingere quæ vellet) sed etiam subsignantur à deponentibus, sic enim impeditur fraus, quæ posset aliquandò subesse. Vndè convincitur, quòd tenetur Provincialis illas ostendere, cum ad nihil aliud, nisi ad hunc finem possint inservire.

27. Re vera intolerabile videretur, quòd voce activa nullus privari possit, nisi delicto iudicialiter probato, et per sententiam, et toto Deffinitorio; et ex alia parte privari possit voce passiva, quæ ad plus se extendit, ut notum est, à solo Provinciali extrà iudicialiter causam totaliter ignorante Deffinitorio.

28. Cum ergò ex hucusque deductis, pateat, quòd licet in Deffinitorio electivo, Provincialis solus eligendos proponat, non tamen potest, aut solus proponere in consultivo; aut solus ab alijs Diffinitoribus propositos excludere, aut proponere in electivo eos, de quibus nulla prævia habita est consultatio. Nunc consequenter demonstrandum est, minimè posse Provincialem Diffinitorium dissolvere, si ex hoc, quòd Diffinitorium non approbet per calculos Guardianos illos, quos ipse proposuit, et ipse nolit alios, qui voce passiva gaudent, proponere, electio minimè sequatur.

29. Vel enim loquamur de Congregatione Capitulari, vel de alia electione extrà illud tempus facta, incepta semel electio, vel congregatis electoribus ad electionem, non potest suspendi; aut imperfecta relinqui. De hoc habemus clarissimum statutum sic sonans. (56) Ordinatur à Capitulo Generali, ne liceat Ministro Generali, et multò minus alijs inferioribus Prelatis, qui electionibus præsident illas iam inchoatas suspendere, aut ijs iam congregatis, ad quos spectat faciendis electionibus interesse eas impedire, ne fiant. et in alio statuto pro familia Vltramontana (57) ordinatur. Vt omnes electiones à Deffinitorio fiendæ continuentur, quousque succedat electio intrà terminum præfixum à iure.

(56) Stat. Gnal. Ord. cap. 8. §. 2. n. 2.

(57) Congreg. Toletan. 1673. num. 3. Ord. Seraph. Tom. 3. fol. 206.

30. Et ad hoc statutum explicandum advertit Sanctorus (58) tunc dici Capitulum, sivè Congregationem, sivè electionem esse inceptam, quando Vocales convenerint in Conventu destinato, nec opus est, quòd sint in eodem loco loci, putà aula, camera, vel Refectorio, ad hoc, quòd dicatur incepta Congregatio, ut multis ibi probat.

(58) Comment. cap. 8. Stat. 53. N. Colligitur secundò

30. Si ergò Provincialis obstinatus in sua sententia contrà ius, et fas solus sibi benè visos proponit, et his reprobatis à Diffinitorio alios nominare non vult, certè inchoatam electionem facto suspendit, et terminandam impedit, et contrà hanc legem peccat, et puniendus utiquè esset, ut publicæ pacis perturbator, nihil enim magis Religiosos commovet, et in suspenso detinet, quàm tempus electionis, et eius exitus. Hinc si cepta sit, et non terminata electio, maximè in Congregatione Capitulari, incredibile est, quomodò fluctuet Provincia, sæviunt factiones, crescunt simultates, intermittuntur Religiosa exercitia, nec superiores locales possunt rigorosè in officio contirare subditos, cum iam ipsi officio cesserint, et successor instet; et tot malorum causa est unius Provincialis, aut ambitus protendendi studium, aut propriæ factionis affectio vitiosa.

32. Difficultatem tamen ingerit statutum familiæ Vltramontanæ citatum ordinans continuationem electionis, donec

fiat

Allegatis Undecima

fiat intrà terminum prefixum à iure. Verum enim est, quòd in quadam constitutione habemus Clementina (58) habemus, quòd si intrà diem naturalem non celebratur electio Ministri Provincialis, ad Generalem devolvitur. Pariter habemus Statutum, (59) quòd si intrà spacium unius diei non sequatur electio Prominstri, seu Custodis ad Capitulum Generale mittendi ad Generalem Simili modo sit devoluta. Sed de electione Guardianorum, sivè Congregatione Capitulari, sivè extrà nullum habemus ius scriptum, intrà quantum temporis debeat concludi, Sed ex similitudine rationis videtur dicendum ipsam etiam ad illud idem tempus, puta diei naturalis Limitari. An autem ipsa non celebrata, ad Generalem devolvatur, decidere non possum. quia de Ministro Provinciali, sicut et de Prominstro, et Custode Legem scriptam habemus, quòd ad Generalem spectat eos eligere, si in tempore Statuto electio in Provincia non sequatur. De Guardianis autem Legem non habemus. Tridentinum jubet, Superiores Regulares per canonicam electionem, non verò per provisionem instrui. Quòd si ex causa hoc fieri deberet, esset lex in Capitulo Generali facienda, vel per Pontificem Summum declarandd; nisi velimus ubi jure communi (60) devolvente ad Superiores electionem non celebratam in tempore congruo.

(58) Clemen. Cæci de Verb. signif.

(59) Stat. Nâl. Ord. cap. 8. §. 7. n. 5

(60) cap. Ne pro defectu de Elect. in 6.

32. Quòd si contrà hic dicatur casum hunc non semper oriri posse vitio Provincialis, imò posse provenire à conspiratione Diffinitorum, qui factionarios vitiosos volunt eligere, Provinciali econtrà resistente pro evenda indemnitate Religionis, et ità nolente promovere nisi Religiosos probos, qui à Diffinitoribus coniuratis, aut saltem conspirantibus rejectuntur.

33. Ad hoc dico, quòd casus negari non potest, Sed tamen difficilius est, quòd quatuor vel sex uniantur ad dominium uni parandum, quàm quòd unus pro se illud tractet, et multorum voluntates pendet. Si detur in Diffinitoribus conspiratio talis, nempè conventicula, quæ fiat ad actum illicitum, ut dicit Alexander (61) inita Scilicet contrà Provincialem ipsum, et eius personam, vel colligatio ad eligendum eos solos, qui sibi benè visi fuerint, et quos sperant esse in futuris electionibus suffragaturos ad placitum eorum, qui se elegerunt, certè hoc delictum gravissimum, et Religioni pernitiosissimum est, et ut habet nostra Practica Criminalis, (62) est ex excepciatis; et à quolibet potest accusari, sicut potest Simonia, ut dicunt canones (63) et cum sit difficilis probationis, ad illud probandum, non requiruntur probationes luce meridianâ clariores, sed sufficiunt indicia, præsumptiones, et leviores probationes, ut multis cumulatis juribus, et Doctoribus egregiè move sua persona Sanctorum. (64) Bebent tamen signa esse evidentia, et scitum convincentia, ad hoc, quòd probata dicatur colligatio, ut de Simonia dicitur in quadam Glossa (65). certè si crimen hoc inter aliquos Diffinitores reperiatur, ità ut insimul colligati sint ad eligendos solos factionarios suos, eius colligationis notitia, aut saltem aliqualis haberi habetur in Provincia, antequam adveniat tempus electionis. Impossibile enim est, maximè intrà Claustra, quòd illud, quod sciunt à plurimis, ità occultetur secretum, quin ad omnes, seu ad maiorem partem non perveniat eius notitia. Provincialis ergò pro suo munere, si zelo bono armatur, et veritate fulcitur, debet eo modo, quo sibi licet, super illa Colligatione indagare, indicia querere, præsumptiones fundare, et antèquam instet tempus electionis, ad Superiorem Generalem significare statum rerum; et Superior quidem per media licita scit Dissolvere colligationes impietatis, et Solvere fasciculos deprimentes.

(61) Gonzal. 93. num. 95. lib. 5. cap. ordinationem. 99. q. 8.

34. At expectare tempus electionis nulla facta suspicatæ colligationis probatione, neque ipsius ullis extantibus indicijs, et vel non habita tractatu; vel jam habito, provisionem alios, de quibus nulla facta

(62) Tit. inquisitio Sol. 23.

(63) cap. Sancta. ubi Abb. et canonistæ de Simon.

(64) De Lyn. cap. 35. quæst. 10. Et sic omnes peritiores

(65) Glos. in cap. In Synodum in in. de Simon.

discussio, et omnibus alijs, licet dignis implicitè exclusis, eos solos, qui sibi benè uisi fuerint, ad electionem nominare sub prętextu somniatę colligationis; quis non uideat euidentius apparere pręsumptionem de ambitu Prouincialis, quàm de colligatione Deffinitorij? Magis enim pręsumitur fieri, quod est facilius, quàm quod est difficilius, et magis pręsumi potest, quod unus malus sit, quàm multi, ut dicunt Doctores, (66) atqui facilius est, quod Prouincialis, siue solus, siuè cum alio aliquo uniatur pro dominio Prouinciæ retinendo, quàm quod omnes, uel maior pars Diffinitorij colligentur in unam uoluntatem pro Dominio acquirendo; attento maximè, quod credibilius est, quod quisque sua magis, quam aliorum quęrat; et cum tot sint sententiæ quot capita, ut dicebat Quintilianus, longè difficilius est, quod multa capita in unam abeant sententiam malam, quàm quod pauciora, uel unum caput suam sententiam defendat.

(66) Menoch. de Pręsumpt. Thusc. lit. P. Concl. 609. et seqq.

35. Et quidem alienum à ratione est dicere, quod omnes de Diffinitorio ità mali sint, quod nullus adhęreat Prouinciali iusto; undè credibilius est, quod Prouincialis potiùs iniustè quęrat quę sua sunt, et proindè nullum ex Diffinitoribus pro se habeat; quàm quod omnes de Definitorio in malum sint colligati. Pręsumptio ergò militat contrà Prouincialem, qui ità exorbitet in suis prętensionibus, et ità independenter à Deffinitoribus uniantur pro bono Prouinciæ ad ipsi resistendum, ità ut factionarios assectas Prouincialis excludant, qui licet aliundè digni sint, ratione autem factionis, quam aut plantare, aut ampliare tentant, meritò excluduntur.

36. Quod euidentius redditur, si Prouincialis uita non sit undèquaque irreprehensibilis, sed sit ille relaxatus, commoditatibus deditus, secularizans, Chori inimicus, et Religiositatis non multùm curans; credibile est enim, quod cum simile simili gaudeat, et copuletur, eiusdem farinę, uel sunt, uel erunt illi, quos ille proponit eligendos, ut sint socij suę ambitionis, et Dominij milites. In tali casu, si Diffinitorium unitur ad tales excludendos, non reprehensibile, sed commendabile esset; colligatio enim ad resistendum iniquitati, ad procurandum, quod Officia religionis dignioribus tantùm conferantur, non est mala, imò laudabilis, et ad hanc concludendam, prętmittitur, iuxtà Canones (67) tractatus consultorius, ut demonstrat Sanctorus. (68) Quinimò sunt obligati in conscientia Deffinitores Prouincialis mala facta corrigere in prętitatis resolutionibus ipsum cohibere, et quę ipse molitur in Religionis, aut Prouinciæ detrimentum impedire, et iniustum eius ambitum frangere, hęc enim ad ipsorum Officium spectat, sunt quippè, non tantùm Assessores, et Collegę Prouincialium, sed sunt etiam ipsorum Syndicatores, ut testatur Sanctorus. (69) Si ergò Syndicatores sunt, habent ius corrigendi Prouincialem in ijs, in quibus in suo officio delinquit, ut scribit Ludouicus Romanus, (70) tales enim in iure dicuntur, qui publicę utilitatis defensionem susceperunt, (71) proindè Diffinitores publicam utilitatem tenentur defendere contrà Prouincialem molientem cum utilitatis publicę iactura dominationem protendere, et in tyrannidem redigere.

(67) cap. in Genes. cap. cum in ueten. iuncta gl. in V. Tractat. cap. Cum inter cap. in causis de Elect.

(68) De Pęn. cap. 15. q. 10. V. Dixi independenter

(69) Comment. cap. 8. Stat. 37. Quęst. 4. V. Respondeo secundò Diffinitores

(70) Consil. 415. in princip. V. Sed puto. Iusc. Tom. 7. Concl. 273. num. 9.

(71) L. cum Nos. iuncta glos. in V. Defensionem. C. de Legation. lib. 10. L. final. §. Defensores. ff. de Mun. et honor.

37. Patet ergò ex hucusquè demonstratis non posse Prouincialem Diffinitorium dissoluere, sed teneri continuare electionem, donec perficiatur; et ideò si minimè approbentur per uota Diffinitorum illi, quos ipse proposuit, debet alios nominare à Diffinitoribus propositos, circà quos pręuia facta est discussio; et tandem alios, qui nullam legitimam patiuntur exclusionem quominus uoce passiua gaudeant; ità enim fiet, quod electio celebrabitur in tempore statuto, et iustitię distributiuę consuletur, et Prouinciæ pax stabilietur.

38. Quid autem iuris, si Prouincialis hoc minimè attendens, antè Congregationem Capitularem nullum congressum

consultiuum

consultiuum habet, uel si habet, ipse solus uult eligendos proponere, uel admissis Deffinitoribus ad alios proponendos, in Deffinitorio electiuo tantum à se nominatos proponit, illisque minimè approbatis per uota Deffinitorum alios nullos, quamuis rogatus, et à Diffinitoribus sollicitatus, ut ceteros, qui uoce passiua gaudent proponat, proponere uult, ità ut expiret dies naturalis ad electionem deputata. Quod possunt facere tunc Deffinitores?

39. Dico primò, quòd non potest dignior post Prouincialem Pater alios in presentia ipsius Prouincialis proponere ad hoc quòd eligantur. Ratio est, quià ex Statutis Generalibus (72) Ordinis, electiones Guardianorum fiunt; Preside uel Prouinciali Ministro proponente; Vndè etiam in alijs Statutis (73) habetur. Presidenti incumbit proponere que tractanda sunt. Et ut diximus suprà et aduertit Sanctorus, (74) in Concilijs Patreses semper decidenda proponit. Et indecorum Ministro Prouinciali esset, quòd inferior eligendos proponeret; et officium Superioris usurparet, ex quo ipsi inferretur iniuria.

(72) Stat. 44. cap. 8.

(73) Barcinonen. cap. 8. Tit. de Capit. gnal. num. 40.

(74) Comment. Stat. 44. cap. 8. Ol. Certum igitur.

40. Dico Secundò, multò minus Licere alijs de corpore Deffinitorij insimul congregari, et electiones absque Ministro Prouinciali celebrare. Quià congregare Deffinitorium spectat ad Prouincialem Ministrum, Vicarium Commissarium, et (in horum defectu ob mortem) ad primum Prouincie Patrem. Vndè absque altero istorum congregatum esset acephalum Collegium, et undequaque illicitum, speciem haberet rebellionis, et esset crimen Lese maiestatis ut dicitur in Lege Iulia (75) Declaratur autem in iure ciuili illicitum, quòd Nisi ex Senatus consulti auctoritate uel Cesaris, Collegium, uel quodcumque tale corpus coierit, (76) et qui aliter ad ipsum accesserit, tenetur ea pena, qua tenentur ij, qui hominibus armatis loca publica, uel templa occupasse iudicati sunt, ut scripsit Vlpianus, (77) et ciuili concordat ius canonicum. (78) prescribens Generalia Concilia à solo Papa, Prouincialia à Metropolitis, Diecesana ab Episcopis priuatiuè conuocari debere, aliter nullius ualoris sunt nec concilia, sed conciliabula uocanda sunt, non enim auctoritate priuata possunt constitui Collegia, ut optimè probat Abbas. (79) Cum ergo nullum habeamus Legem, que concedat digniori post Prouincialem in Deffinitorio talem Congregationem facere, si congregarentur ità Diffinitores ad eligendum, in graue crimen inciderent, et omnia attentarent, et circà hoc habemus Statutum (80), per quod, Quecumque acta Definitorij absque assistentia Legitimi Presidis facta, declarantur irrita, et prorsus nulla.

(75) L. Proximum ff. ad L. Iuliam. Maiest.

(76) L. Collegia §. In summa ff. de Coll. et corp. illic.

(77) L. Qui illicitum ff. de Coll. et corp. illic.

(78) cap. Synodum cap. Regula. cap. Huic soli. cap. Multis 2. q. 6. cap. 2. cap. Sicut olim de Accusat. Concil. Lateranen. 5. Sess. 10. Const. 2. in fin. Tridentin. Sess. 24. de Reform. cap. 2

(79) in cap. Dilecta. num. 5. de Excess. Prelat.

(80) Congregat. Gnal. Toletan. 1673. Tit. pro Tot Famil. Orb. Seraph. Tom. 4. fol. 206. Col. 2. num. 5.

41. Dico Tertiò, quòd Deffinitores possunt coram testibus protestari Prouinciali, se esse paratos ad perficiendam electionem et per ipsos non stare, quominus perficiatur, et se nullo modo intendere, uelle transferre ius suum eligendi in Generalem, sed uelle iure suo uti intrà tempus à Lege prefixum electioni, putà intrà diem naturalem; et proindè urgentius instant, ut iuxtà Statuta procedat, alios proponendo, donec sequatur electio. Hoc remedium est undequaque iuridicum, et Prouincialis iura non lædit; nec ipsum ulla iniuria percellit. Et fortè hac protestatione premissa, mutabit sententiam, et alios proponet; ità ut sequatur electio. Sed si ipse (fretus fortè amicitia Generalis, aut fauore Curialium, à quibus sperat, si electio ad Generalem deuoluatur, conditiones suas esse meliorandas) obstinatus in sua sententia perseueret, quid proderit Diffinitoribus premissa protestatio?

42. Dico quod prodest ad hoc, quòd ipsi non sunt priuandi iure eligendi pro illa uice, nec tali casu excludendi sunt, quominus sua uota conferant pro illa electione. Et hoc euidentissimè demonstro ex textu famosissimi Canonis, (81) habemus, quòd electores Cathedralium, et Regularium Ecclesiarum priuantur pro illa uice iure eligendi, si intrà tres menses Ecclesie Viduæ non prouideant de Pastore. Hec autem priuatio iuris pena est, que supponit culpam, nempè in Electoribus negligentibus

(81) cap. Ne pro Defectu. de Elect. ubi Abbas, et Canonistæ omnes.

electionem, proindè Abbas sic sumat illud Capitulum. Si illi, ad quos spectet electio negligunt eligere intrà tres menses &c. et ità notat ibi Glossa (82). Quod si electorum negligentia non subsit, sed iusta causa interueniente, non eligant contrà ipsos, non currit prescriptio trimestris, et hoc probat ex utroque iure; (83) Sicut ergò ex iure Canonico trimestre assignatur Electoribus; ità ex iure Statutario Deffinitoribus assignatur dies naturalis, et sicut non eligentes intrà trimestre priuantur pro illa uice iure eligendi et electio deuoluitur ad Superiorem; ità Deffinitores non eligentes intrà diem, priuantur pro illa uice iure electionis, quià ad Generalem deuoluitur. Sicut ergò ex Canone non puniuntur electores priuatione iuris eligendi ex negligentia; non amittunt autem ius eligendi, si ex causa respectu eorum Legitima non elegerunt, ità pari modo non debent Diffinitores priuari iure eligendi, si ipsi non fuerunt negligentes, nec causam dederunt, quominus electio in tempore debito sequuta sit. Attenta maximè doctrina, quam tradit Abbas, (84) quod tempus prefixum non currit impedito quocumque impedimento iuris, uel facti propter negligentiam, siuè culpam alterius. Et re uera inauditum, et contrà Leges est, (85) quod quis puniatur ex culpa alterius. Prouincialis in tali casu in culpa fuit, quià contrà Leges peccauit, uel in non proponendis ijs, de quibus facta fuit discussio, uel propositis sibi benè uisis, alios contrà ius, et fas proponere renuit. Si ergò ipse in culpa fuit, non debent Diffinitores ex eius culpa priuari per priuationem uocis in illa electione.

43. Priuari si quidem uoce actiua, et iure eligendi, quod ex Lege habetur, pena, et quidem grauis est, ut notat Passerinus (86) Non est ergò undè possint sic puniri; quià si electio perfecta non fuit, hoc non euenit ex ipsorum culpa; denegare enim suffragium propositis à Prouinciali, sicut et illud dare, Liberum electoribus ~~sit~~ est; nec ullo iure adstringuntur ad probandos eos, qui Prouinciali uisi sunt digni, unusquisque enim in suo sensu abundat.

44. Sed dices, hoc quod premisimus practicari non posse. Quoquo enim modo non sequatur intrà diem naturalem, electio Guardianorum in Congregatione saltem Capitulari, ad Generalem deuoluitur. Debent ne ergò Diffinitores, qui in culpa non fuerunt, quominus electio celebrata sit, adire Romam, uel debet Generalis uenire in Prouinciam, in qua debet fieri electio? Planè stat, hoc non deberi. ergò uelint, nolint Diffinitores tali casu erunt priuati; si non iure, saltem actu suffragandi in illa electione; et sic inutilis reddetur premissa cautela protestationis.

45. Respondeo, quod Generalis non potest electionem Guardianorum ullo modo ex se celebrare, casu quo ad ipsum deuoluatur electio. Et non est par ratio de electione Prouincialis ad ipsum deuoluta, et de Guardianis. Quià circà Prouincialem habemus ius scriptum in Clementina (87) ordinante, quod Ministri Prouincialis prouisio ad Generalem Ministrum Liberè deuoluatur. Non habemus autem tale ius ex ullo Concilio, Canone, aut Statuto circà Guardianos. Proindè audiamus celebrem rerum Regularium eque ac nuperum scriptorem circà hoc, cuius de uerba (88) Quoties electio iustis de causis per Statuta et ordinationes Regularium deuoluitur ad Generalem, tenetur omninò seruare formam prescriptam in cap. Quia propter de Elect. et in Tridentin. Sess. 25. Cap. 6. aliàs est prorsus irrita electio ab illis facta. Ità decreuit in sua Bulla Pius V. pro minoribus, quam refert Samuel Tract. p. Contr. 13. num. 11, et idem decreuit Clemens Octauus et confirmauit Paulus V, prout testatur ipse Samuel supra num. 12. Ratio uerò est, quià Statuta particularia taliter debent interpretari, ut quantum fieri potest euitetur iuris communis correctio, ut cum Rota,

Felino

(82) Gloss. in cap. Ne pro defectu. in V. Impedimento de Elect.

(83) cap. de Syracusane 28. Dist. cap. Benè nouit. 69. dist. cap. Quià diuersitatem. de Concess. prebend. L. contrà maiores C. de inoff. test. L. quod quidam L. ait Pretor ff. qui ex cau.

(84) in cap. Quià diuersitatem num. 3. de Concess. Preben.

(85) cap. Quesiuit de his q. fi. à maior. cap. nullus. cap. crimen. 1. q. 4. cap. Satis peruersum. 56. dist. L. Sancimus. C. de penis. L. Generali ff. de rit. nupt.

(86) de Elect. cap. 3. num. 5.

(87) Exiui §. Ceterum, si Capitulum de Verb. Signif.

(88) Anton. à Spu S.to Direct. Regul. Par. 3. Tract. 5. Disp. 1. Sect. 2. num. 34.

Felino, Nauarro, Sigismundo, et alijs docet ibi Samuel. Sed talia Statuta possunt intelligi, ut tantum corrigant ius commune circà Electores, et non circà formam electionis; si quidem hoc in eis expressè non habetur, ergò non debent amplius extendi. Et ita tenet Rota, Sigismundus, Suarez et alij multi, quos refert, et sequitur Samuel supra num. 13. Hec ille. Patet ergò ex his non posse Generalem se solo per prouisionem Guardianos creare, sed debet electionem canonicam celebrare, adhibitis in locum Deffinitorum grauissimis Patribus, quos secum habet. Sed nulla certè utilitas Religioni ex hoc proueniet. Si quidem, nec Generalis ipse, nec Patres coeligentes possunt habere notitiam eligendorum nisi per relationes sibi transmissas à Prouincia, que rarò ueniunt sincere, sed plerumque ad genium, et utilitatem informantium composite; imò contrarie ueniunt informationes quibusdam nonnullos, alijs eosdem probantibus, et reprobantibus; undè nequeunt Electores ex certa scientia, et conscientia distinguere, quinam sint digniores, qui debeant preferri.

46. Vt ergò, et Legi, et Prouincie utilitati et iustitie Deffinitorum satisfiat, melius est, quòd Generalis uirum grauem et cordatum ad illam Prouinciam destinet, qui occulariter informetur de necessitate Conuentuum, et mentis eligendorum. Tunc congreget Definitorij Patres, quibus cum uoto electiuo, et decisiuo ipse presideat, excluso Prouinciali, cuius culpa electio minimè fuit anteà tempore debito celebrata. Sic enim ex culpa Prouincialis non uapulabunt Diffinitores, et ipsis proficiet cautela protestationis, quam premisimus.

47. Nec potest explicari contrà hoc, quòd potest dari casus, quòd culpa re uera sit ex parte Diffinitorum, qui collegati sunt ad eligendos indignos, et quòd Prouincialis timoratus nolit ullo modo tales nominare, et potius uelit ob zelum Religionis priuari iure eligendi, quàm in talium electionem consentire; et quòd in tali casu iniustum, et damnosum esset tale remedium.

48. Etenim dico, ultrà ea, que suprà circà hoc tetigi, uel isti sunt notoriè indigni habentes canonica impedimenta; uel Prouincialis tantùm ex narrationibus extraiudicialibus sibi factis eos indignos reputat, econtrà Diffinitoribus omnibus dicentibus, eos esse dignos. In primo casu optimum Prouincialis habet remedium, quandoquidem assignato notorio impedimento canonico, contrà quod nequeunt Diffinitores respondere, iam liberatur à molestia pretensionis indebite; si impedimentum uerè subest, sed notorium non est, et tempus illud probandi non suppetit, potest Prouincialis, premissa protestatione, quòd illos proponit, ut morem gerat, Diffinitorio, et ut contrà conscientiam non faciat, illis non dare uotum suum, et si nihilominus electi remanserint, scribere posteà ad Generalem potest, et narrare circumstantias facti, et electorum defectus, ob quos indignos esse censuit, qui eligerentur, et sic poterit ex informata conscientia ipsis summariè auditis Generalis priuare Guardianatu iuxtà Statuta. (89) Vel poterit Prouincialis per uiam iuris de eorum defectibus inquirere, et exclusis à Deffinitorio partialibus illorum, ut concedunt Statuta (90) alijsque Patribus substitutis eosdem ab Officio deponere. Insuper curare poterit Prouincialis per iuris remedia apud Generalem, ut Diffinitores illi (qui uoluerunt tales fuisse propositos à Prouinciali pro Guardianis, debebant ad tale officium promoueri, in Deffinitorio manifestasset) priuentur iure eligendi, eò quòd, à sacris canonibus (91) habetur, quòd eligens scienter indignum, iure eligendi priuatur. Si uerò Prouincialis ex proprio sensu, et coniecturis tantùm, aut extraiudicialibus fratrum relationibus eos existimat indignos, in nullo offendit conscientiam suam, si prudentie sue non innitatur, sed Deffinitorum sententie

(89) Cap. Romano. 1676. Constit. Solicitudo. 20. Nouembr. 1679. Orb. Seraph. Tom. 4. fol. 224.

(90) cap. 8. §. 56. fol. 239.

(91) cap. 1. et 2. de Post. Prelat. cap. cum in cunctis cap. innotuit cap. Scriptum. de Elect. cap. perpetuo. eo tit. in 6. Bald. Barbos. Tiraquel. Gratian. Mirand. Filiucc. Loter. Layman. Lauor. Sylu. Tabien. Biax, et alij citat. à Passerin. de Elect. q. 9. cap. 29. num. 73.

se conformet, et illos eligendos proponat.

49. Quod si Provincialis iste timoratus perpenderet de duobus malis iuxta Canones (92) minus esse eligendum, et quod propter scandalum aliquod, quod non deberet concedi, conceditur, et quandoque quod de iure non esset tolerandum, toleratur, et aliquoties omittitur, quod esset faciendum, ut dicunt plura capitula (93) unde et Christus ad tollendum scandalum, soluit dydracma; consideraret ex alia parte quot iurgia, discordiæ, seditiones, et turbida orientur intra claustra; et quantum scandalizentur pusilli et seculares ex talibus electionibus suspensis, et imperfectis, diceret sanè maius detrimentum, et in substantia, et in existimatione provenire Religioni ex tali discordia in electione suo tempore non facta, quam sit id, quod nasci potest ex electione aliquorum superiorum non dignorum, quos poterit Provincialis in mala sua ipsorum administratione et regimine coercere.

50. Quid autem fieri possit, et quomodo provideri, ne tam scandalosum inconveniens in Religione accidat, difficile est assignare, ita ut Provincialium, aut Deffinitorum ambitu fomentum non tribuatur; neve illorum ius in aliquo lædi possit. Duos tamen modos practicabiles propono.

51. Primus est, quod electio Guardianorum à Patribus Deffinitorij fiat per schedulas quemadmodum faciunt PP. Cappucini, ut habetur in ipsorum Constitutionibus (94) Hoc enim modo, ut etiam notavit Sanctorus (95) Sanctius, licet longius, ac difficilius, et Sacrorum Canonum ordinationibus, et menti Statutorum satisfit, et inconvenienti, cuius causa scribo, obviatur. Canones quidem et maximè Tridentinum canonicam electionem per cedulas, ac scrutinium secretum fieri statuunt. Statuta Ordinis (96) electionem Guardianorum, ac omnium Officialium Ordinis volunt canonicam. Et licet pro Guardianis creandis, electionem statuant per calculos, quæ etiam potest dici, licet non stricto modo, canonica, ut dicit Sanctorus ibidem, tamen ex quo mens statuti substantialis est quod canonica sit illorum electio, melius satisfieret menti statuti eligendo per schedulas, quæ est forma purè et strictè canonica. Et si tales electiones fierent in Provincijs, (supposito, quod Provincialis id pro bono pacis permitteret, et iuri proponendi quod habet pro tunc renunciaret) electiones illæ optimè sustinerentur, quia factæ secundum ordinationem Conciliarem; attento maximè, quod statuta ordinantia electionem Guardianorum per calculos, sunt simpliciter directiva, nec ullam habent clausulam irritantem, quæ actum in contrarium reddat, aut ipso facto nullum, aut à superiore annullandum, ut notum est in iure; undè talis electio optimè sustineretur.

52. Dices, quod per hunc modum non obviatur inconvenientibus. Cum enim sex sint vota in Diffinitorio, possunt esse ut multipliciter contingit in equilibrio divisa, et ità si omnes sint fixi in sua sententia, curret statuta dies, et electio non erit imperfecta.

53. Ad hoc respondeo, quod hoc inconveniens non potest accidere in Familia Ultramontana, in cuius causa scribo, quia in illa Diffinitorij vota sunt imparia, cum ex Minister immediatus (salubriter pro Religione) ingrediatur Deffinitorium; Posset ergò etiam in Cismontana hoc practicari continuando nempè ex Ministros in Deffinitorio. Et si hoc non concedatur, quia Bullæ repugnant, potest adimi vox in Deffinitorio Custodi, qui votum electivum habet ex gratia (saltem circà electiones, quæ fiunt in Provincijs, nisi instante Capitulo Generali, ad quid enim tot Patrum multiplicatio absque rationabili causa? Vel si eligatur, nullam vocem habeat in Deffinitorio; sic enim fiet, ut vota semper

erunt imparia

(92) cap. duo. 13. dist. cap. Nervi ibid. cap. si aliquid 22. q. 4.

(93) cap. inter verba 21. q. 3. cap. Presbyteros 25. dist. cap. aliquantos 51. dist. cap. Pervenit. 95. dist.

(94) Constit. Capuccin. cap. 8. fol. 70.

(95) Comment. cap. 8. Stat. 42. N. Puto ad Canonicam.

(96) cap. 8. §. 2. num. 1.

erunt imparia, et numquam succedet, quod electio non fiat. Et licet possit dari, quod Diffinitoribus in diuersa diuisis, neque sic in die statuta perficeretur electio, hoc tamen rarissimum esset, et lex non fertur de casu raro contingenti.

54 Secundus est practicabilior, et conforme cuidam statuto facto in quadam Congregatione Generali Romana (97) quod sic habet. Presentetur Diffinitorio Papyrus, seu cartula, in qua omnium nomina, qui uoce passiua potiuntur pro Guardianis descripta sint. Nullusque superiorum proponat, aut nominet aliquem Fratrem particularem, sed omnes illi, qui sunt in papyro, habeantur pro nominatis, et propositis, e quibus digniores eligantur proportionaliter ad locorum necessitates. Modum hunc difficilem in praxi uocat Sanctorus. (98) Sed nescio uidere, in quo consistat difficultas hec, si bene examinetur mens statuti, que digniores eligi decernit. Ita ergo fiendum esset. In Diffinitorio consultiuo afferri debent notati iuxta ordinem Religionis omnes uoce passiua gaudentes. Debet inde incipi ab antiquiore, et unusquisque Diffinitorum dicere quid sentit de illo, an habeat exceptiones, ob quas debeat repelli, an admitti. Si admitatur à maiori parte, in carta separata scribatur; si non, de eo amplius non loquatur. Et sic fiat de omnibus discussio; que si in una die nequit fieri, fiat in pluribus, donec omnes eligibiles sint discussi.

(97) 1608. Orb. Seraph. Tom. 4. fol. 592. V. Item ut in electionibus.

(98) Comment. cap. 8. Stat. 42 V. Puto ad canonicam in fin.

55. Deinde in congressu electiuo afferatur cartula cum nominibus iam discussorum ordinatis iuxta seriem sue ipsorum precedentie; et incipiendo ab antiquiori, ferantur suffragia secreta de illo. Si inclusus remanet, bene, sin minus, secundus, et sic deinceps proponatur, donec sit facta electio tot Guardianorum, quot sunt loca prouidenda. Sic electis, ponderent postea Patres Diffinitorij locorum, seu Conuentuum exigentias, et electorum habilitatem unius pre alio, et sic iam electi preficiantur Conuentibus de communi Deffinitorum consilio. Et hoc stabilito, electio publicetur. Scio per hanc formam impediri illos Diffinitores, qui forte uellent aliquem adolescentem ad Guardianatum promouere, et clientulum sic habere ad nutum; sed hoc optime pro Religione esset, sic enim disrumperentur factiones, nec tam facile esset ambitiosis per clientelas dominium protendere. Et utinam pro Religionis bono hoc fieret, ut fieri potest. Huic enim statuto nullibi reperio fuisse ex post derogatum expresse, sed tantum non positum in usu.

56. Remedia autem que proposui sunt à Capitulo Generali, uel Sacra Congregatione, aut à Summo Pontifice stabilienda, nullus enim ipsis inferior, hoc potest. Mihi autem hec indigitasse sufficiat, omnia submittens superiori Reu.mi P. Ministri Generalis prudentie et consilio. Cui &c. Ita saluo &c.

Ego Fr. Lud.cus M.a ab Ameno
Sac. Theol. Lect. emeritus R.mi P.
Minri. Gnalis. Consultor.

Allegatio Duodecima

Papien. Precedentie

Occasio scribendi

In Prouincia Reformata S. Didaci à tempore publicationis Breuis Vrbani VIII. Aliàs pro Congregatione Generali & Lectores Sacre Theologie precedentiam sibi debitam iuxtà illud Breue habuerunt in omnibus Prouincie Conuentibus. Egrè hoc ferentes nonnulli Sacerdotes dederunt memoriale ad Reu.mum Generalem Sambucam, pretendentes, quòd Lectores prefati ad instar aliarum Prouinciarum precederent tantùm in Conuentibus, in quibus legunt. Generalis excitauit Lectores ad sua iura producenda, et cum tunc essem Lector primus in Conuentu S. Crucis Papie allegaui pro Lectoribus, ut sequitur.

Summarium.

1. Primum fundamentum Lectorum.
   Lex omnis interpretanda iuxtà proprietatem verborum.
   Constitutio generaliter loquens, generaliter accipienda.
   Clausula indefinita generaliter interpretanda
2. Obiectio contrà fundamentum.
   Soluitur obiectio.
   Dictio copulatiua posita inter incompatibilia stat pro disiunctiua.
3. Iura debent iuribus concordare.
   Si per alia iura non potest Lex explicari, recurrendum ad consuetudinem.
4. Bulla predicta interpretatur per Statuta.
5. Fauores sunt ampliandi.
   Fauorabilis quandò dicatur dispositio.
   Et quando odiosa
   Constitutio dubia dilucidatur ex mente Legislatoris.
   In expositione Legum, mens Legislatoris obseruanda.
6. Secundum fundamentum desumptum à consuetudine.
   Consuetudo habet vim Legis.
   Et Leges Principum facit silere consuetudo.
7. Consuetudo debet esse rationabilis.
   Debet induci per actus voluntarios.
   Debet seruari à maiori parte Communitatis.
8. Consuetudinis diuisio.
   Consuetudo contrà Legem quanto tempore prescribat.
   Secundum Legem obligat à tempore Legis late.
   Vltrà Legem quanto tempore prescribat.
   Consuetudo precedendi prescribitur decem annis.
   Solutio difficultatum precedentie petenda à consuetudine.
   Similium similis est ratio.
9. Tertium fundamentum principale.
   Vtilitas exercitij facit precedere.
   Priuilegium Lecture est personale.
10. Respondetur primo fundamento contrario.
11. Satisfit secundo fundamento opposito.
12. Destruitur tertium fundamentum Aduersariorum
   Personatus quid importet.
   Prelatura est administratio cum iurisdictione.

13. Eneruatur.

Allegatio Duodecima

13. Eneruatur quartum fundamentum ex opposito
14. Prosternitur quintum fundamentum.
15. Satisfit ultimo fundamento contrario
In Lege aut Statuto nullum verbum est otiosum.
16. Probatur, quòd per Statuta Generalia non probatur intentum Aduersariorum.
Dictio vel est alternatiua.
Dictio vel quando sit coniunctiua.

Adsit Dominus.

1 In Causa pretensionis precedentie Lectorum Sacre Theologie Reformate Prouincie S. Didaci suprà alios Sacerdotes eiusdem Prouincie extrà Conuentus, in quibus Lectores actualiter munus suum exercent pro parte Lectorum infrascripta allegantur. Primum eorum fundamentum est Bulla fel. recordationis Vrbani 8. incipiens Aliàs pro Congregatione Generali, in qua precisa ponuntur verba Post eosdem Ministros Prouinciales actuales, in Sacra Theologia Lectores actuales, ac Guardiani in eius Conuentibus, omnes, et singulos eorum Superioribus actualibus exceptis. S. precedant. Verba Bulle absolutè loquuntur ergò absolutè interpretanda sunt. cum lex omnis interpretanda sit iuxtà verborum proprietatem (1) Insuper clausula illa loquens de Lectoribus, generaliter loquitur, cum nullam mentionem faciat de loco, sed tantum de tempore. et Constitutio generaliter loquens, generaliter est accipienda. (2) Vbi enim ius non distinguit, nec nos distinguere debemus. Quòd si dicatur, clausulam illam generalem non esse at indefinitam; dico etiam deberi indefinitam constitutionem, etiam generaliter intelligi (3)

2. Quòd si obyciatur, quòd Bulla dicit, Lectores actuales, ac Guardiani in eius Conuentibus, et proindè Ly ac coniungere Lectores cum Guardianis, et sicut Guardiani non precedunt nisi in suis Conuentibus, ità etiam debere Lectores precedere. dico, quòd nulla est euasio, nec potest ita Bulla explicari. Probatur. Regula apud Iuristas, et Canonistas est, quòd Vbicumque dictio copulatiua ponitur inter incompatibilia, tunc stat pro disiunctiua. (4) et communiter acceptatur. Vt si dico, Precipio, quòd Vir, et mulier laboret, et lactet filium, Ly, et secundò positum non coniungit at disiungit, quià si coniungeret, oporteret, quòd vir lactaret filium, quòd verò est incompatibile, sed precedere ità in Conuentu, ut Guardiani Lectoribus est incompatibile, ergò copulatiua dictio non est. Manifesta est minor ex verbis Bulle. Bulla iubet, quòd Guardiani precedant omnes, et singulos, exceptis Superioribus actualibus, et ità precedunt vigore huius etiam actuales Diffinitores, ergò etiam Lectores computati cum Guardianis in precedentia precedent omnes, et singulos, ergò etiam Diffinitores, sed hoc ex verbis eiusdem Bulle repugnat ipsis, ergò Ly ac non coniungit, at disiungit.

3. Quòd si omninò contendatur Bullam hanc esse dubiam, ideò debere explicari. Dico, quòd per alias Leges explicanda est. Quià iura debent iuribus concordare. (5) Si per alia iura non potest, recurrendum est ad consuetudinem. (6) Sed per alias Leges communes ista Bulla explicari non potest. Probatur. Bulla eadem in prefatione ità habet. Cum autem, sicut dilectus filius Commissarius Generalis eorumdem Fratrum Reformatorum Ordinis eiusmodi Nobis nuper exponi fecit Statuta Generalia, premissa verò concessiones, et indulta, nec non ordo in eiusdem Statutis circà precedentiam stabilitus cum nonnullis Apostolicis Constitutionibus non concordent. Ecce fatetur Papa nonnulla communia

(1) L. non aliter ff. de Legibus. 3. Abb. in Cap. ad Audientiam n. 2. de Decimis. Nauarrus in cap. inter verba Dist. 1. de Penit. n. 10.

(2) L. p.a ff. de legat. prestand. L. prospexit ff. qui, et à quibus Bart. in L. de Pretio ff. de Publi.

(3) Suarez, Lib. 6. cap. 2. n. 3. de Legibus. Layman. Tom. 4. V. Leges Regul. n. 35.

(4) Bartol. Consil. 90. viso Statuto in fine lib. p. Thusc. Tom. 2. lit. D. Conclus. 254. et communiter acceptatur.

(5) Cap. Cum expediat de Elect. lib. 6.

(6) ~~Cap. Cum expediat~~ L. si de interpretatione ff. de legibus. Cap. Cum dilect. de Consuetud. Syluestr. V. lex q. 16. Lezan. loc. cit. n. 40.

iura huic precedentie ordini obstare, ergò per alia iura explicari non potest. Quia numquam contrarium per contrarium roboratur, at infringitur, ergò standum est consuetudini, de qua infrà.

Bulla hec in confirmationem Statutorum lata est, ut patet ex prefatione, et decreto, in quo dicitur Apostolica auctoritate tenore presentium confirmamus, et approbamus, illisque inuiolabili Apostolice firmitatis robur adijcimus. Ergò prout sonant Statuta Bulla precipit, et confirmat. At Statuta. Precipitent per puncta et numeros distinctos precedentias Lectorum et Guardianorum ità (3) Doppo questi precederanno li Lettori attuali di Theologia n. 11. subdiuisè. Li Guardiani ne loro conuenti precederanno tutti, eccetto li loro Superiori attuali. Ergò Statutum non coniungit in precedentia Lectores Guardianis, ergò neque Bulla. Et cum Statuta Nobis Leges sint, et generaliter, et indefinitè loquantur, etiam indefinitè intelligenda sunt, ut clamant suprà allegata iura.

(3) Stat. c. 8. n. 52. principaliter 10. subdiuisè

5. Preterea Lex ista fauorabilis est, non odiosa, ergò amplianda est, non restringenda iuxtà Reg. 15. iuris in 6. odia restringi et fauores conuenit ampliari. Probatur assumptum. Fauorabilis est dispositio, quandò disponentis intentio fuit principaliter propter fauorem alicuius, (7) sicut odiosa est propter disponentis odium, (8) et licet alijs secundariò noceat, si primario prodest, aliquibus fauorabilis est (9) ergò amplianda est non restringenda ad locum. Quòd si contendas, dubiam esse. Dico, quòd ad intentionem Legislatoris, et ad eius finem attendendum est. (10) cum in constitutionis interpretatione maximè attendendum est ad mentem Legislatoris. (11) Sed uideantur uerba Pontificis legem ferentis. Nos igitur (ait loquendo de Commissario qui Religionis nomine de confirmatione Statutorum, et precedentie ordine decernendo supplicauit) eumdem Commissarium Generalem spiritualibus fauoribus, et gratijs prosequi uolentes. Quid clarius. ecce fauorabilis Pontificis intentio, ergò Lex lata erit fauorabilis. Quòd si proteruias, fauorabilem esse Commissario, non alijs. respondeo, quòd Lectoribus, et Prouincie Patribus fauet, qui fauores precedentie antè illam bullam non habebant.

(7) Cald. Cons. 559. aliàs 14. de Verb. Signif. Bald. Cons. 411. Petr. de Ancharan. Cons. 153. Crauet. Cons. 118. Tusc. Lit. O. Concl. 66. n. 8.
(8) Bald. Consil. 428. lib. 3. n. 2.
(9) Lezan. loc. supracit. n. 34.
(10) Couarruuias lib. 1. Variar. cap. 11. n. 15. Sanchez lib. 1. de Matrim. Disp. 1. n. 4.
(11) L. 17. ff. de legibus. L. Scire §. Aliud ff. de Excusat. c. humane aures 22. q. 5. cap. fin. de Reg. Iuris in 6. Lezan. l. cit. n. 36.

6. Secundò, principaliter arguitur ex consuetudine. A latione Legis contente, tùm in Statutis, tùm in Bulla Lectores Theologi potiti sunt tali precedentia, ergò inducta consuetudo. Assumptum potest etiam ex propria aduersariorum confessione, in eorum enim libello porrecto Reu.mo Generali ità habetur. Doppo la publicatione della Bolla della fel. mem. d'Vrbano 8.° circa la precedenza de Riformati, et accettata l'anno 1643., che comincia. Aliàs prò Congregatione Generali. Li PP. Lettori attuali di Theologia di questa nostra Riformata Prouincia di S. Diego hanno presa la precedenza non solo, doue attualmente leggono, mà in tutta questa Prouincia doppo i Diffinitori attuali. Quibus uerbis eximuntur Lectores ab onere probandi consuetudinem, cum ab Aduersarijs etiam eam semper uiguisse affirmetur. Si ergò consuetudo est, pro lege haberi debet. Consuetudo enim habet uim Legis. (12) et Principum Leges facit silere. (13) ergo etiam quandò nulle precedentie inesset Lex per consuetudinem acquiritur.

(12) Lezan. Tom. 1. cap. 8. n. 24. et Tom. 4. Quest. Regul. V. Leges Regular. n. 54. Beetz. de Decem Precept. V. circ. 2. precept. expos. 1. cap. 2. et circ. 3. precept. Exposit. 2. c. 2.
(13) Menoch. de Arbitrar. lib. 1. q. 71. n. 9. Moron. Resp. 3. n. 107.

7. Probatur uerò legitimè inducta hec consuetudo. Primò, quia rationabilis est. Cum labores Lectorum, per quos digni sunt mercede, precedentia compensantur. et rationabilis debet esse consuetudo. (14) Secundò quia inducta per actus uoluntarios. Voluntariè enim, et animo inducendi eam fuit à Lectoribus seruata, cum uoluntarios actus debeat induci consuetudo. (15) Tertiò uniuersaliter obseruata fuit nec positiuè impedita, ut Aduersarij fatentur. Cum uniuersalis, aut saltem maioris partis Communitatis debeat esse consuetudo. (16) Vltimò, Quia

(14) Cap. fin. de Consuetud. Sylvester V. Consuetud. num. 6. Sayr. Clau. Regia lib. 3. c. 11. n. 6.
(15) Lezana loc. sup. cit. num. 55. cum Bonacin. Suarez, Azorio, Reginaldo, Salas.
(16) L. de quibus ff. de leg. D. Thom. p. 2. q. 97. art. 3. Suarez de leg. lib. 7. cap. 3. n. 7.

habet

habet tempus sufficiens, ad prescribendum, quod probatur.

8. Consuetudo, alia est secundum legem, alia contrà legem, (17) et communiter Theologi et Canonistæ. Quanto autem tempore prescribat una quæque dicendum est. Consuetudo contrà legem prescribit in lege ciuili decem annis, in Ecclesia uero quadraginta. (18) Secundus Legem autem, quando obligat, non est probandum, cum in casu non à Latione Legis obliget ut Lex. (19) Vtrà Legem autem ad prescribendum etiam in iure Ecclesiastico sufficit decennium, etiam si uertatur circà res Ecclesiasticas, et Spirituales, ut si sit canonica, prescribit decem annis. (20) Ista ergò consuetudo non est contrà legem; Lex enim apertè non dicit, quòd Lectores non precedant nisi in propriis Conuentibus, aut potius iuxtà legem ut supra probatum est. Et in terminis consuetudo decem annorum ualet, quod Prepositus precedat Canonicus, et unus Canonicus alios, quia non est contrà, sed præter ius commune, (21) ubi hanc uocat communem; neque contrà legem, erit saltem ultrà legem, ergò prescripsit eò quòd à Lege lata usque nunc per plusquam uiginti annos arguit. Vltrius solutio omnium difficultatum in materia precedentiæ collegialis petitur à consuetudine. (22) et sanctus Gregorius XIII. in Bulla exposuit, (23) et de precedentia loquendo ait. Decernimus, quòd quicumque ex dictis fratribus mendicantibus inter se de precedentia huiusmodi contendentibus: qui in quasi possessione, ac iuxta precedendi sunt, si (quibuscumque reclamationibus, protestationibus, appellationibus, et aliis subterfugijs prorsus remotis, et cessantibus, et postpositis) in processionibus tam publicis, quàm priuatis precedere debeant. ergò a simili. Si possessio, uel quasi possessio facit, quòd ita possidentes, uel quasi possidentes precedant, cum Lectores sint per consuetudinem in tali possessione, uel quasi possessione, etiam ipsi precedent. Cum similium similis sit ratio. Reg. iur. in 6.

(17) Azor. Tom. 1. lib. 5. cap. 17 q. 2. Panorm. Cap. final. de consuetud. Bart. L. de quibus ff. de legibus. Salas de leg. Tract. 14. Disp. 19. Sect. 2. n. 12.

(18) Panormit. cap. fin. de consuetud. n. 11. Innocent. Cap. cum Dilectus de consuet. Angelus Consuetudo n. 6. et 9. Syluestr. n. 4. q. 2. et n. 6. q. 4. Nauar. 1. Consilior. Tit. 46. de consuetud. Cons. 1. Salas loc. cit. Sect. 4. n. 25. fol. mihi 429.

(19) Salas L. cit.

(20) Glos. cap. fin. de Consuet. in 6. Armilla V. Consuet. n. 6. Sà n. 3. Fabien. n. 7. q. 6. Medices Tractat. de leg. et Statut. p. 2. q. 14. n. 3. Couarruuias 1. Variar. cap. 17. n. 8. Nauar. Sum. cap. 23. n. 19. Menoch. de Arbitr. cas. 83. Salas de leg. Tract. 14. disp. 19. Sect. 4. §. 5. n. 3. Hornebod. Tract. 10. de Restitut. cap. 3. casu 9. fol. mihi 269.

(21) Aret. Consil. 10. Thusc. P. Conel. 477.

(22) Seraphinus Decis. 964. quem refert. Moron. Pleg. 5. n. 36.

(23) in Bullar. Laertij T. 2. ut refert. Quarara in Summ. Bullar. V. Precedentia. Nald. n. 4 Conser. Collect. Litt. Apostolic. in Erg. 13. n. 8. Lezan. V. Preced. n. 5. fol. mihi 366. et 387.

9. Tertiò Principaliter suadetur eiusmodi precedentia Lectoribus debita ratione exercitij; quod est Religioni maioris utilitatis. Quia utilitas maior exercitij facit precedere. (24) Secundò ratione priuilegij, quia priuilegium hoc reale est, et adiunctum rei incorporeæ, et proindè censendum est, ac personale, quia datur ratione officij (25), ergò non uariatur per locum, neque utitur, cum priuilegium personale per locum non mutetur. Cum omne tale ubicumque ponatur, semper est tale. Tertiò Lectores à sacris canonibus specialibus fauoribus decorantur. Vt de indigent plusquam alijs Religiosis, dandum esto illis de publico erario; (26) Vltimò concludo per uerba S. P. Francisci, qui absolutè loquitur. Et omnes Theologos, et qui ministrant nobis Sanctissima uerba, debemus honorare, et uenerari, à quibus monitionibus recedere Minoritis nefas esse dixerim.

(24) Thusc. P. Conclus. 477. citans Zabarell. n. 92.

(25) Moron. Pleg. 53. n. 24.

(26) Cap. Quia nonnulli. et c. Super specula de Magistris. Peyrin. in formul. Litt. L. 1. n. 3. Contren. 4. politic. c. 14. et 15. Bellasius Promptuar. V. Lector. n. 5. fol. mihi 236.

10. Nunc restat Aduersariorum positis satisfacere. Obijciunt primò de resistentia negatiua ad effectum interrumpendi consuetudinem, pretendentes per illos actus fuisse interruptam. Respondeo. primò negando tales actus esse factos, neque probant de loco, persona et tempore, quod necessarium est. Secundò, esto facti sint, isti actus nihil ualent, cum per actus similes non exprimatur neque consensus, neque dissensus eò quia actus non sunt, imò actuum negationes.

11. Obijciunt secundò, quòd in alijs Prouincijs, ut Marchiæ, Bononiæ &c non uiget talis stylus, eò quia per superiores aliter est decisum. Respondeo, quòd talis declaratio, (si est) quod uerum non puto, fuit forte quia per actus contrarios interrupta esto consuetudo precedendi Lectoribus, quod non fuit in nostra Prouincia. Secundò ista declaratio municipalis fuit pro illa, uel illa Prouincia, non pro omnibus, et lex municipalis non obligat, nisi in Municipijs. Probatur coniecturæ, si uniuersaliter

fuisset declaratio Legis Statutariæ. Pr. Reu.mus Generalis præcipisset, et à Nobis ità seruari, tanquam casus in ijsdem terminis aliàs decisus, non attentis rationibus nostris, quas iussit produci. Quòd Bulla illa ità debeat intelligi improbatum est suprà N.o 2. et 3. et quòd dictio illa ac sit copulatiua, fateor, at non semper copulat, ut per rationes suprà positas dictum est.

12. Obijciunt Tertiò, quòd Lectoratus non est dignitas, et tamen Guardiani non præcedunt extrà Conuentum. Respondeo, quòd inter Nos, Lectura non est dignitas, sed personatus, quià importat præeminentiam sinè iurisdictione. (26) ergò ratione personationis possunt præcedere. Esto Lectura sit nec Prælatura, non ualet tamen illatio. Quià neque Diffinitoriatus est dignitas, neque Prælatura. Quia ista non est administratio cum iurisdictione. (27) neque ~~Prouinciales~~ Patres Prouinciæ, qui fuerunt, et non sunt Ministri, Prælati sunt, et tamen præcedunt, ergò non ualet argumentum hoc, eò quià Lectura dignitas, aut Prælatura non sit

(26) Lezan. Tom. 2. cap. 13. n. 6. et tom. 5. fol. 193. Bordon. resol. 29. n. 114. Bellasius loc. sup. cit.

(27) c. 1. et ibi glos. 1. de Consuetud. lib. 6. Lezan. Tom. 2. c. 13. nu. 2.

13. Obijciunt Quartò, quòd non ualet argumentum nostrum de consuetudine, præscriptione, et possessione, circà quod fideliter, et absque magno Labore exscribunt totum numerum septimum et 25. responsi quinti Moroni, ad quod singillatim dico, quòd consuetudo probata est 6. 7. et 8. §. Quòd odiosa sit materia de præcedentia explosa est §. 5. Quòd ius prælationis non amittatur eo non utendo; dico, quòd non sumus in casu. Quià ibi auctor loquitur de prælatione, quæ est ratione ordinis, cui non potest renuntiari in Ordinis præiudicium. Non autem est sic in casu nostro eò quià præcedentia in Ordine prælatio propriè non est. at potius debet dici antianitas, uel antiquitas. Quòd si de uero uocabulo prælationis uidere uis, oppono Morono Moronum. (28) Quòd si armata manu potest resisti; ut ibi dicunt. Quarè tunicam non uendiderunt, ut emerent gladium, ut Christus monuit, ad resistendum, at potius resistentia negatiua sunt usi? Si dicis hoc pro quiete fecisse. Quarè saltem superiores non adierunt sicut nunc?

(28) Moron. resp. 59. n. 55. et seqq.

14. Obijciunt Quintò, quòd probanda sit consuetudo. probata abundè est etiam per eorum dicta. Quòd requirantur quadraginta anni, probatum est §. 8, quod sufficit 10. Quòd alias habeat conditiones, etiam probatum est supra §. 9. Quòd sit imprescriptibilis, quià contrà ius. Videant Doctores citatos suprà quòd etiam contrà ius Ecclesiasticum præscribatur per consuetudinem. Quòd si per consuetudinem non derogatum fuisset multis excommunicationibus, ut Thelesphori. PP. contrà Clericos non ieiunantes à Septuagesima usque ad Pascha. ueh Nobis; quià ut dicit Sà, pœnæ infinitæ sunt, at non ligant, quià non in usu.

15. Obijciunt finaliter, Quòd noua statuta apertè casum decidant per uerba infrà allegandà. Ad hoc respondeo, Statuta hæc non esse noua, quò ad illum Paragraphum, et penè omnes, quià sunt Vallisoletana reimpressa, quibus esto quòd ualeant, circà præcedentiam suprà relata Bulla derogat. Præterea hæc Statuta Reformatos non obligant nisi in casibus specialiter ibi notatis, in quibus apponitur hæc clausula, Etiam pro Reformatis. Quòd si omnia quæ in Statutis ordinantur, indifferenter Reformatos, et Obseruantes obligarent, superfluerent illa uerba. Nec dicendum, ea uerba fuisse obiter posita; quià in Lege, uel Constitutione nullum uerbum creditur otiosum, aut inutile, sed aliquid operari. (29) Secundò uide in Littera Pastorali Reu.mi nostri Generalis Ministri, antè illa Statuta ad quod dirigantur, an Reformatis an Obseruantibus. Ibi ait. Dilectis Filijs Fratribus Cismontanæ Familiæ Ordinis eiusdem de Obseruantia Superioribus, et Subditis Salutem et Paternam

(29) cap. in his de Priuil. Cap. si Ciuitas de Sent. Excomm. in 6. Mirand. Manual. Prælat. q. 25. art. 26. concl. 7. Nald. V. lex. n. 24. Lezan. loc. s.o cit. n. 41.

benedictionem

benedictionem. Vbi hic mentio de Reformatis? At estò sint etiam pro Reformatis. Ergò Secretarij Prouinciæ præcedent omnes, qui Custodes aut Diffinitores fuerunt. Ergò Lectores Theologi, qui per Sexennium Legerunt, etiam ipsi præcedent? quod suprà negasti. Omnia hæc ordinantur in ijsdem Statutis loco à te citato num. 13. 15. et 18. respectiuè. Dices hæc non ualere inter Reformatos, quià non sunt in consuetudine. Et ego etiam dico, tale Statutum non ualere pro Lectoribus, ut tu intelligis, quià non est talis consuetudo in nostra Prouincia, ut probatum est.

16. Concedatur tamen à Nobis, et Statutum ualere, et esse pro Reformatis, et seruari debere. Adhuc intentum tuum non concludit. Do uerba Statuti cap. 8. §. 53. n. 11. Lectores Theologi et Prædicatores clarissimi quo tempore uel loco actu legunt, uel prædicant post prædictos præcedant. Obiecisti nobis, quòd dictio Ac, secundum Gramaticos, Logicos, Iuristas, Canonistas, et Theologos copulatiua dictio est, quod suprà refelli; modò obijcio tibi, quòd dictio Vel, secundum Gramaticos, Logicos, Iuristas, Canonistas, et Theologos disiunctiua est; non coniunctiua, nec enim dicere tempore uel loco legunt uel prædicant, est dicere tempore et loco legunt et prædicant; uel enim importat alternatiuam. (30) Alternatiuè ergò intelligendum est, ut tempus quo legunt, ad Lectores primò positas, locus quo prædicant ad Prædicatores, secundò positas alternatiuè referatur. Quòd alternatiua dictio sit, Vel probat Abb. (31) fateor, aliquando ~~enim~~ sumi posse pro coniunctiua. tamen istud non debet fieri contrà proprietatem uerborum, et minus, quandò copula exposita secundum suam naturam non requirit utrumque copulatum simpliciter. (32) Hic autem non requiritur ex uerborum proprietate simpliciter utrumque copulatum; lectura enim in præcedentia non requirit simpliciter tempus, et locum coniungi, quemadmodum etiam Concionatorum munus. Quod finaliter suadeo. Quià qui Lectores per sexennium fuerunt, præcedunt absolutè ex num. 15. eiusdem Statuti, et à Lectoribus actualibus præceduntur, ergò à fortiori, si isti absolutè per totam Prouinciam præcedunt actuales Lectores, et ipsi præcedere debent. Ità saluo meliori &

(30) Thusc. D. Concl. 392.

(31) Consil. 42. n. 2. col. 2. lib. 2. apud Thusc. loc. cit.

(32) Aret. Consil. 13. Viso diligenter. n. 5. Verbo. Exponere autem.

Fr. Lud.cus ab Ameno
Sac. Theolog.æ Lector.

Reuisa per Consultores Causa, fuit sententiatum, prout sequitur. Nos infrascripti, quibus à Reu.mo Pre. M. Angelo à Sambuca totius Ordinis S. P. N. Francisci Minrō Generali Commissa fuit discussio, et cognitio Causæ uertentis inter Lectores S. Theologiæ ex una, et alios Sacerdotes ex altera partibus in Prouincia r.ta S. Didaci de, et super ratione præcedentiæ, an scilicet præcedentia, qua potiuntur, et gaudent Lectores actuales Sacræ Theologiæ in Conuentibus, in quibus actualiter legunt, ipsis competere debeat etiam in alijs eiusdem Prouinciæ Conuentibus, in quibus actu non legunt, quandocumque ipsos in ijs existere, ac morari contigerit, Visis, ac maturè perpensis rationibus pro utraque parte allatis, considerato etiam tenore Bullæ Vrbani 8. aliàs pro Congregatione super huiusmodi præcedentijs anno 1642. editæ, nec non ijs, quæ circà hanc materiam à Constitutionibus Generalibus Reformatorum præscripta sunt ponderatis quoque alijs omnibus, quæ ad rem facere possent, dicimus, et censemus, eamdem omninò præcedentiam deberi Lectoribus actualibus S. Theologiæ in omnibus, et singulis Conuentibus totius Prouinciæ, in qua existunt, tam in ijs, quibus actu legunt, quàm in alijs, et hoc est nostrum Votum, et nostra sententia, quam præsentibus proferimus saluo tamen

Allegatio Duodecima

semper Romę in Conuentu S. Francisci trans Tyberim die 24. Januarij 1664.

Ità censeo, ego Fr. Fran.cus Antonius Romanus ex Custos Prouincialis.

Ità censeo Ego Fr. Angelus Bergomensis Ordinis Pr.

Si sono uedute le raggioni proposte pro utraque parte in ordine alla precedenza, che pretendono cotesti P.P. Lettori di Theologia, e qui congionto li manda il Voto dei due Padri, à quali fù da Noi commessa, et in conformità di questa terminatione, potrà V. P. con li medemi Religiosi regolarsi, e Nro. Sig.re l'assista. Roma 2. Febraro 1664.

Fr. M.o Angelo di Sambuca
Minro. Gnale.

C. ✠ S

P. Mro. rif.to di Pauia. iui. con foglio.

Alleg.o Terza Decima